

DE REB. METALL.

tiui referat: ita inter se misceri, vt inspicienti paulò longinquius fucū faciat. Miscetur hoc plumbo nigro, vt opera ex eo fieri possint: per se enim minus est tractabile. Item plumbo cinereo, cū splendoris tum leuitatis gratia. Plumbo candido cū additur quarta pars de orichalco, simulq; incoquuntur, vasa, quæ ex ea temperatura fiunt, argento esse similia videtur. Tabellæ quadratæ plumbi candidi annulorum fundis includuntur, iuxta adamātes, quòd illius color insigniter niger sit, huius verò eximiè candidus. Appellatur autem candidum, nò quòd natura ita sit hoc plumbi genus, sed posteaquam ignem experitur & excoquitur, tum demū candorem accipit singularē. Seruit hoc metallum nostro tempore & lucro & imposturæ mercatorum, seu potius institorū, qui ex eo varia vasa, instrumenta & crepundia efficiunt, ornati & lusibus puerilibus accommodata.